

IN NOMINE S. S. TRINITATIS

*Disputatio Theologica*

TERTIA

*De*

JUSTIFICATI-  
TIONE,

*Opposita*

Mataeologiae Photinianæ

ET

*publicè proposita*

In illustri & florenti Academiâ JENENSI

P R Æ S I D E

JOHANNES HIMMELIO  
POMERANO, S. TH. D. ET PROFESSO-  
re publico.

R E S P O N D E N T E

M. MICHAELE WALTHERONO.

rimbergensi Philosoph. Facult. Adjuncto.

Ad diem XVI. Maij.

*In Auditorio majori horis matutinis.*

J E N Æ

*Typis TOBIAE STEINMANNI.*

*Anno M. DC. XVIII.*

diss. A  
15

24. A. 179 (15.)

~~XXX. #6~~









THESIS PRIMA.

**V**Elitationibus duabus oppugn-  
vimus aciem contra arduum justificationis  
articulum directam duplicem, *Jesuiticam*  
nimirum & *Calvinianam*; congregiemur jam,  
Duce J E H O V A H, cum Phalange *Photinia-*  
*notum* hæreticissima, qua vix unquam pesti-  
lentiore in Ecclesia exorta est, quæ Epicuræ securitati viam  
immodius sterneret, quippe quæ omnium errorum sentina est,  
omnium blasphemiarum fasciculus, omnium fidei articulorū  
extrema depravatio, & Diabolica perversio, ut non immerito  
à piis cordibus pro extremo hostis infernalis partu, & ultimo  
conatu reputetur.

II.

Tantæ malitiæ & petulantiaæ egregium specimen anim-  
advertimus in maximo illo fidei negotio *Justificationem* homi-  
nis coram Deo concernente, quod maleferiata Photinianorum  
caterva funditus subruit, omnem solatii spem afflictis con-  
scientiis nefariè surripit, delirantis rationis suæ somnia stolidè  
assuit, adeoque hæreticissimè de salutari illo dogmate sentit &  
statuit, prout videre est, ex Socini scriptis, Ostorodi institutio-  
nibus & Smalci Catechismo.

III.

Quod ut cuivis manifestum fiat, invictò & fundamentali  
hoc Syllogismo rem omnem complectemur.

Quæcunq; doctrina 1. Vindicatricem Dei justitiam ne-  
gat 2. in causam efficientem principalem. 3. Instrumentalē, &  
4. Formalem justificationis directè impingit, illa Heterodoxa  
est, & hæreticissima.

Photinianorum modernorum doctrina in præsentī Ar-  
ticulo talis est. E.

A e

Major



Major est ἀναντιρρήτως vera. Minorem paulò prolixius membratim comprobabimus.

IV.

I. *Judiciariam & vindicatricem Dei justitiam* à Photinianis negari, nemini potest esse obscurum. Contendunt enim, nullam esse talem Dei justitiam, quæ misericordiæ ejus opponatur & cui per Christum satisfieri necessum fuerit, sed punitionem peccatorum esse effectum voluntatis, qui iræ Dei adscribatur, non justitiæ, qua de re vide Socinum de Christo Servat. pag. 8. Ostorod. p. 212. Instit. Catech. Racov. p. 266.

V.

Scriptura v. contrarium docet I. *expressis dictis* Job. 8, 3. ↓. 9, 5. Psal. 50, 6. Ps. 119, 137. Ps. 145, 17. Esa. 9, 4, 15. Rom. 1, 32. 2. Thess. 1, 5, & 6. II. *doctrinâ legis*, quæ parùm mentibus nostris insculpta, partim per Mosen promulgata. Hæc namque regula est faciendorum, speculum & signum clarissimum voluntatis divinæ, Quoniam verò maledictionem omnibus prævaricatoribus non solum denunciat, sed & ipso actu peccatores maledictioni subjicit & cõdemnat, irrefragabiliter sequitur, talem voluntatem in ipso Deo esse alioquin signi & signati *quæritis* expiraret. III. *Promissionibus additis* Lev. 18, 5. Luc. 10, 28. Rom. 10, 5. Gal. 3, 12. & comminationibus, quarum in Sacris literis sunt longè plurimæ Gen. 2, 17. Deut. 27, 27. Gal. 3, 10. Synopsis veluti quædam proponitur Deut. 28. IV. *Pænarum & præmiorum exemplis*, quæ de hac perpetua & immutabili Dei justitia evidens perhibent testimonium.

VI.

Et ne ullus supersit titubandi scrupulus, Scriptura de Deo exsertè dicit, quod aversetur omnem injustitiam Deut. 25, 16. odio habeat operantes iniquitatem Ps. 5, 17. quod via impii coram ipso abominatio sit Prov. 8, 7. & c. 15, 9. ira ejus super incredulos maneat Joh. 3, 36. & super impietate reveletur, Rom. 1, 18. Ex quo actu & effectu firmiter arguimus. Quicumq; per naturam aversetur iniquitatem, & per iram peccatoribus indignatur atq; succenset, is omninò per naturam justus est. Atqui Deus per naturam, h. e. essentialem suam re-

ctitu-



constitudinem & perfectionem peccata averfatur, per iram quoque peccatoribus indignatur & succenſet.

Ergò per naturam ſuam juſtus eſt.

Major utrinque eſt invictæ veritatis, juſtitia enim nihil aliud eſſe poteſt, quàm juſta voluntas peccata abominans, & peccatorem puniens. Actus quoque ſecundus ex alterâ parte ſemper præſupponit primum. Minor ex dictis modò allatis ſplendorem accipit. Stat E. Concluſioni ſua immota veritas.

VII.

II. *In cauſam Efficientem principalem impulſivam* (Vide diſp. 1. th. 19. & ſeqq.) tam internam quàm externam Photiniani graviffimè delinquant.

II X.

*Internam* dupliciter oppugnant. 1. aſſerendo, miſericordiam Dei, quatenus ingreditur actum juſtificationis, non eſſe naturalem ſive eſſentialem proprietatem in Deo, ſed tantum actum ſecundum ſive contingens effectum liberæ voluntatis. Ita enim ſcribit Fauſtus Socinus part. 1. de Chriſto c. 1. pag. 9. *Eadem conſideratio locum habet in ipſa miſericordia, quatenus juſtitia eſt oppoſita, ut ſc. Dei proprietatis non ſit, ſed effectus tantum voluntatis ejus.* Similia habet pag. 4. & 222.

IX.

Contra, nos, ut reliqua Dei attributa *ἐνεργητικὰ*, ita & miſericordiam conſideramus, *vel* intra ſimpliciſſimum eſſentiæ divinæ complexum, ubi cum ipſa eſſentiâ eſt *ταυτὸ τὶ*, & *ἀπλῶς* convertibilis, uſque adeò, ut Scriptura tribuat Deo *σπλάγχνα ἐλέους* viscera miſericordiæ Luc. 1, 78. eo ipſo figuratè innuens, Deum per eſſentiam eſſe miſericordem, & per ſuam naturam eſſentiali *Φιλανθρωπία* erga homines affici; *vel* ad extra, quatenus reſpectu creaturarum exercetur, & foràs progreditur: *Ibi* actum primum notat, & nõ dependet à voluntatis libertate; *hic* verò ſecundum notat, dependentem à liberâ voluntate.

X.

2. Docendo, gratiam ſive miſericordiam Dei (hæc enim ſunt *ἀντιπροφα*) & quidem quatenus actu ſecundo ad lapſum genus humanum foràs progreditur, eſſe ſimpliciter abſolutam,

A 3

neq;



neq; fundatam in ullo *ἀποπέ* sive satisfactione, neq; cum aliquo  
justitiæ & divinæ temperamento conjunctam. Ita n. Socinus  
mentem suam exponit part. 3. de Christo c. 2. p. 230. *Nihil ferè  
magis impium excogitari potest, quàm sentire, à Deo peccatum non re-  
mitti, nisi pro ipso illi plenè satisfiat &c.* Quà parte consentiunt ad-  
versarii absoluto Calvinianorum decreto, quod ab ipsis non-  
minus simplex & absolutum ex absolutâ Dei voluntate profi-  
ciscens statuitur, quod ex Calvino l. 3. Inst. c. 22. sect. 11. c. 23.  
sect. 1, 5, 7. Beza in præfat. pert. 2. ad Act. Coll. p. 9. Renneche-  
ro in Cat. aur. sal. p. 126, 135. Zanchio, Piscatore & Paræo c. 28.  
Iren. p. 255. notum est.

### XI.

Contrà Scriptura non solum Deum summè misericordem  
prædicat, sed & summè atq; essentialiter justum, q̄ antea pro-  
batum. Justitia autem exigat pœnas prævaricatorib. constitu-  
tas & denunciatas. Proinde misericordiæ non est locus, prius-  
quam justitiæ satisfiat. Syllogismus est talis; Si Deus vi suæ  
justitiæ nullum remittit peccatum, nisi pro eo sit satisfactum,  
gratia & misericordia ipsius non est absoluta. Prius est. Ergo &  
posterior.

### XII.

Et huc pertinet primarius & illustris ille locus Rom. 3,  
24. qui vel solus Hereticorum figmentum de absoluta Dei gra-  
tia fortissimè præsternit, omnesq; Justificationis causas, Effi-  
cientem, Meritoriam, Instrumentalem, Formalem & Fina-  
lem complectitur. Nam 1. disertè dicitur, gratis gratiâ Dei nos  
justificari, ut excludatur omne meritum & sic pœnitentia quo-  
que ratione contritionis & novæ obedientiæ. 2. gratiam illam  
fundatam esse *ἐν ἀπολύσει* in redemptione quæ est in Christo  
Jesu, non per promulgationem mandatorum, sed 3. per effu-  
sionem sanguinis Christi. 4. *εἰς ἐνδείξιν τῆς δικαιοσύνης* ad ostensio-  
nem justitiæ Dei, misericordiæ nimirum temperamento mix-  
tam, ut nobis per hanc redemptionem Christi fide apprehen-  
sam. 5. remissio peccatorum obtingeret. Confer Johan. 3, 16.  
Rom. 5, 8. c. 8, 32. Gal. 2, 20. 1. Joh. 4, 9. Gal. 4, 4. Syllogismus est  
talis: Quæcunq; Scriptura arctissimè copulat & connectit, illa  
divellenda non sunt. Sed gratiam Dei & Christi satisfactio-  
nem



nem arctissimè copulat & connectit. Malè ergò divelluntur,  
& p. c. gratia Dei non est absoluta.

XII.

*Externam multifariam iterum corrumpunt, tam ratione ipsius personæ quam officii Christi. 1. Deitatem ipsius blasphemè impugando, hoc enim infaustum illud est principium, in quo ὀλοψυχως conspirant, omnesq; ἀπιστίας suæ errores fabricant, unde postmodum ἐξ ἀνάγκης sequitur, Christum non potuisse ἰσοῦρον ἄνθρωπον persolvere, cùm nudus & purus homo Nestoriano prorsus furore dicatur passus, crucifixus & mortuus.*

XIV.

Contrà nos ex Scripturâ Deitatem Jesu Christi solidè asserimus. 1. *A nominibus divinis, quæ soli vero Deo in sacris literis tribuuntur, expressè n. vocatur ἰσθς, Deus & Dominus. 2. Ab attributis divinis tam essentialibus, cujusmodi est æternitas Immutabilitas, Immortalitas, Infinitas, Omnipotentia, Omniscientia &c. quàm personalibus, cujusmodi est gigni ab æterno Patre, & cum eo imperscrutabili modo spirare æternum spiraculum. 3. Ab operibus divinis, quæ propria virtute & voluntate liberâ ad suam gloriam efficit, quale est creatio & conservatio rerum omnium, Effectio miraculorum, futurorum prædictio, Ecclesiæ conservatio & gubernatio. 4. A cultu divino, qui ipsi defertur, quæ omnia sufficienter & latissimè probantur apud Dn. D. Gerhard, Tom. 1. Loc. de Deo Pat. & æt. ejus Fil. cap. 4. toto.*

XV.

2. *Satisfactionem ejus pro peccatis nostris factam Diabolicam παύσην negando, ita enim scribit Fault. Socinus part. 3. de Christo cap. 1. p. 227. & 231. Non solùm satisfactionis sive satisfaciendæ verbum in Scripturis sanctis nusquam apparet, sed nihil ejusmodi ne semel quidem expressè in eis reperitur, nusquam legitur, quod Christus morte suâ Deum reconciliaverit, quod poenas universas nostris iniquitatibus debitas moriendo justitiæ divinæ persolverit, quod nos è manibus justitiæ divinæ sanguinem suum redemptionis pretium illi dans liberaverit, quod scelera nostra suâ obedientiâ compensaverit, quod pro merito dignè fuerit, ut remissionem peccatorum Deus nobis largiretur, vel deniq; quod aliâ ratione Dei iram nobis placaverit. Suffragium suum apponit*  
Osto



(Ostorodus in Instit. Germ. p. 261. ubi quærit, Iſt nicht noch eine andere Urfach / warumb der H & X X. Iesus gestorben iſt? & reſpondet. Nein es iſt keine andere / ob man gleich jetzt in der Chriſtenheit zum meißten Theil meynet / als ſolt uns der Herr Chriſtus durch ſeinen Tod die ewige Seligkeit verdienen / vnd für vnſere Sünde vollkommen genug gethan haben / welcher Verſtand irrig / voll Verführung / vnd ſehr ſchädlich iſt. Gittichius p. 101. Satisfactionis dogma, ipſe blaſphemus & impudentiſſimus homo vocat horrendam in Deum blaſphemiam.

XVI.

Contra nos ex Sacris huic impietati immota fundamenta opponimus & ſic concludimus.

Si Chriſtus nobis peccatoribus conſtitutus & datus eſt 1. Mediator. 2. & Redemptor, 3. ut peccata noſtra transferret & in ſe reciperet. 4. factus peccatum & 5. maledictum, 6. eſſetq; *ἱλασμός* pro peccatis noſtris. 7. per quem Deo reconciliaremur. 8. daretq; animam ſuam *λύτρον καὶ ἀντιλύτρον* pro nobis. 9. & ſic mercaretur nos. 10. pretioſo ſuo ſanguine. 11. a maledictione legis. 12. ab ira Dei. 13. æternaq; damnatione. 14. ut in ipſo corā Deo eſſemus juſti & dilecti, conſequens eſt, Chriſtum pro peccatis noſtris verè ſatisfeciſſe. Prius eſt. Ergo & Poſterius.

XVII.

Connexio omninò firma eſt. Aſſumptum articulatim ex Spiritus S. oraculis claret. 1. Chriſtus eſt Mediator noſter 1. Tim. 2, 5. Heb. 8, 6. c. 9, 15. c. 12, 24. 2. noſter Redemptor Tit. 2, 14. Luc. 1, 68. Rom. 3, 24, 25. 1. Cor. 1, 30. Eph. 1, 7. Col. 1, 14. 1. Tim. 2, 6. Heb. 9, 12. 3. Peccata noſtra tranſtulit & in ſe recepit Ef. 5, 6. & 4. Johan. 1, 29. 1. Pet. 2, 24. 4. factus eſt pro nobis peccatum 2. Cor. 5, 21. 5. maledictum Gal. 3, 13. 6. *ἱλασμός* pro peccatis noſtris 1. Joh. 2, 2. c. 4, 10. Rom. 3, 25. 7. per eum ſumus Deo reconciliati Roman. 5, 10. 2. Cor. 5, 18. 8. dedit animam ſuam *λύτρον καὶ ἀντιλύτρον* Matth. 20, 28. 1. Tim. 2, 6. Luc. 1, 68. Tit. 2, 14. 1. Pet. 1, Heb. 9, 15. 9. 2, 1. mercatus eſt nos 2. Pet. 2, 1. 10. pretioſo ſuo ſanguine 1. Pet. 1, 18, 19. 11. a maledictione legis Galat. 3, 21. cap. 4, 4. 12. ab ira Dei 1. Theſſ. 1, 10. 13. & ab æterna damnatione 1. Theſſ. 5, 10, 11. 14. ut coram Deo juſti ſimus & electi 2. Cor. 5, 21. 1. Cor. 1, 30. Vide Dn. D. Menz. in Exeg. A. C. art. 4. p. 203. & ſeqq. Dn. D. Gerh. Tom. 3. de Juſt. §. 37. D. D. Meiſn. diſp. Anthrop. 25. quaſt. 3.

XVIII. Addi



## XVIII.

Addi possunt pro Christi merito rationes longè plures de-  
sumptæ à contritione serpentis Genes. 3, 15. à sacrificiis, quæ fue-  
runt typi Christi, ab hirco emissario Levit. 16, 14. à ruffa juvenca  
Num. 19, 4, 6. à serpente æneo Num. 21. à pacificatione Eph. 1, 14.  
Col. 1, 20. à deletione Chirographi Col. 2, 14. Quæ passim maxi-  
mam partem discutiantur à Dn. D. Franzio in Schola sacrificio-  
rum ubi vide.

## XIX.

3. *Obedientiam Christi tanquã creaturæ debitam fuisse statuendo,*  
quippe per quam sibi immortalitatem & gloriam sit promeritus.  
Qua in parte Piscatorem Herbornens, quadantenus habent *ὁμοψυσ-  
τοι*, qui contra universam Dei Ecclesiam præfractè sentit, sanctis-  
simam Christi vitam & obedientiam legi præstitam nobis nihil  
mereri, nec concurrere in persolvendo pretio nostræ redemptio-  
nis, sed tantùm requiri ad personæ pro nobis satisfaciens præ-  
stantiam, quam sanctissimam esse oportuit, ut apta & idonea exi-  
steret ad subeundum tantum officium. Videatur comment. Rom.  
cap. 4. & 5.

## XX.

Contra, Quò Christus alios redemit, illud pro seipso non  
debet. Atqui totâ suâ obedientiâ tam activâ quàm passivâ Chri-  
stus alios redemit. Ergò pro seipso neutram debuit. Minor robo-  
ratur Scripturæ oraculis. De obedientiâ *passivâ*, quâ Christus satis-  
fecit pro *pœnâ* moriendo & patièdo loquuntur hæc 1. Pet. 2, 21, 24.  
1. Cor. 15, 3. Rom. 5, 6 cap. 4. v. ult. 1. Joh. 2, 2. cap. 4, 10. Phil. 2, 8. De  
*activâ*, quâ satisfecit pro *culpa* agendo, sequentia sonant, Rom. 5, 18,  
19. Matth. 5, 17, 18. Gal. 4, 4, 5. Rom. 10, 4. 2. Cor. 5, 21. Consule, li-  
bellum Dn. D. Eckardi de hac quæst. adversus Joh. Piscatorem.

## XXI.

Uterius; Qui omnem gloriam habuit ab æterno, is sibi ipsi  
in tempore per obedientiam suam nihil mereri potuit. Atqui  
Christus omnem gloriam, ut Deus, habuit ab æterno, quâ ipsâ, ut  
homo apud Patrem se petit glorificari Joh. 17, 5. Ergò sibi ipsi in  
tempore per obedientiam suam nihil mereri potuit.

## XXII.

Ex quibus manifestum fit, dicta  $\downarrow$ . 110, 7. Phil. 2, 8, 9. Heb.  
2, 9. &c. non describere consequentiam causalitatis, ut loquuntur Lo-

B

gica



gici, quasi gloria illa propter mortis meritum Christo collata  
fuiſſet, ſed conſequentiam ordinis, quia nimirum Salvator noſter hunc  
ordinem in ſuo officio tenuit, ut prius pateretur, & poſt mortem  
demum in cœleſtem gloriã intraret, ex liberrima planè voluntate,  
XXIII.

III. In cauſam Juſtificationis Inſtrumentalem Photiniani non mi-  
nus turpiſſimè impingunt 1. fidem per obedientiam mandatorum legis  
definiendo, ſic n. docetur in Catechiſmo Racov. p. 246. in fide duo  
ſunt primum, ut Chriſto confiſamur, ſecundum, ut Deo obtemperemus, non  
in iis ſolùm, quæ in lege per Moſen latã præcepit, & per Chriſtum abrogata  
non ſunt, verùm etiam in iis omnibus, quæ Chriſtus legi addidit.

XXIV.

Contrã, Quæcunq; ſententia legis & Evangelii diſcrimen  
funditùs evertit, & inſuper falſiſſimã nititur hypotheſi, illa ceu  
erronea rejici omninò debet. Talis eſt ſententia Photinianorum  
in hoc negotio. Ergò. Minor quoad prius membrum ita patet.  
Qui fidei tribuit, quod operibus competit, ille diſcrimen legis &  
Evangelii evertit, nam fides oritur ex Evangelio, opera ex Lege.  
Sed adverſarii fidei tribuunt obedientiam mandatorum legis,  
quæ competit operibus. E.

XXV.

Scriptura interim nos edocet 1. fidem juſtificantem eſſe ex  
Evangelio & non ex Lege Rom. 3, 21, 22. Gal. 3, 11, 12. 2. opponi  
quoq; in Artic. Juſtificationis generatim omnib. operibus Rom.  
3, 20, 28. cap. 4, 5, 6, 13. 3. diſtingui deniq; à fructib. Spiritus in re-  
natis hominibus Gal. 5, 22. Matth. 7, 17. 1. Cor. 13, v. ult. 1. Theſſ. 1,  
3. Philem. v. 6. ut omnis hominum gloriatio excludatur Rom. 3,  
27. c. 4, 2. 1. Cor. 1, v. ult. Fides ergò per obedientiam mandatorum  
legis definiri non poteſt, nihil enim definitur per ſuum oppoſi-  
tum ſive per effectum, ut nim. unum de altero tanquam genus de  
ſua ſpecie in caſu recto prædicetur, ut pulcherrimè & ſapienter  
loquitur Dn. D. Menzerus in Exeg. C. A p. 211. Quantum igitur ab  
Evangelio lex diſtat, tantum hæc obedientia ab illã diſterminatur.

XXVI.

Quoad ſecundum membrum Minor iterum in aprico eſt,  
hypotheſis n. illa falſiſſima eſt. Mahometiſmo viam non obſcurè  
ſternens, qua Chriſtus in N. T. novus *voſus* *deus* conſtituitur & dici-  
tur, ipſum perfectiora mandata tradidiſſe & promulgaſſe, adeoque  
hanc



hanc solam ob causam venisse, ut nova præcepta legi adderet.  
Quem perniciosum errorem sufficienter refellit Dn. D. Gerhard.  
Tom. 3. L. L. Art. de Evang. §. 71. & seqq. D. Franzius disp. 7. in Aug.  
Confess. memb. 4. & seqq. XXVII.

2. *Fidem justificare per apprehensionem meriti Christi præcisè negando,*  
sic n. nobis mentem suam exponit Socinus cap. 9. part. 4. pag. 368.  
*Credere per ea, quæ passus est Christus nostra peccata deleta fuisse nullo mo-*  
*do ea fides in Christum esse potest, quâ justificamur.*

XXIIX.

Contrà, speciale justificantis fidei objectum, quod ipsa prima-  
riò apprehendit, & cujus ratione justificat, esse Christi meritum &  
singularem Dei gratiam, quâ omnes credentes ob satisfactionem  
Filii sui se justificaturum promisit, probatur 1. à *Christi satisfactione*  
s. n. Filius Dei satisfecit pro nobis Patri suo, ut ipsum satisfecisse  
solidè demonstravimus Thess. 16. & 17. & propter hanc ipsam sa-  
tisfactionem peccata dimittuntur, utiq; fides, quæ peccatorum ve-  
niam impetrat satisfactionem illam tanquam primarium suum  
objectum apprehendet. 2. *ab expressa objecti nominatione*, quod to-  
ties indicatur, quoties de justificatione agitur, in omnib. omninò  
locis, quæ huic articulo sedem præbent, cum quib. confer 1. Cor.  
1, 30. Jer. 23, 6. Es. 63, 11. Act. 4, 12. c. 10, 23. Christus n. Mediator  
totius Scripturæ meta est & scopus unicus ad quem solum in seriis  
fidei exercitiis & tentationib. verè pii confugiunt. 3. *A fidei Abra-*  
*hamitica factâ probatione*, quippe quæ in sacris nobis solenniter ad-  
imitandum proposita in primis respiciebat sanguinem Christi  
Rom. 3, 25. redemptionem v. 24. mortemq; & resurrectionem ejus  
Rom. 4, 23. Vide plura apud Dn. D. Meisner. disp. 1. de Fide Justif.  
à th. 103. usque ad 117. ubi simul ad principales Socini objectiones  
eruditè respondet. XXIX.

3. *Plenissimam credendi & non credendi facultatem cuivis homini ex*  
*naturalibus viribus tribuendo*, fidemq; non oriri ex singulari Spiritus  
sancti dono impiè astruendo, sicuti patet ex disp. Socini de Serv.  
part. 4. c. 12. pag. 402. & seqq. Ostorod. cap. 33. qui pag. 280. ita  
concludit. *So bleibt nun unsere Meynung fest stehen / nemlich daß*  
*der Mensch einen freyen Willen hab / so wol zum guten / als zum bösen-*  
XXX.

Contrà divinus Codex informat nos, tam in genere, hominis



arbitrium in spiritualibus non liberum, sed prorsus servum esse, quod alibi prolixius demonstrari solet, quam in specie, causam fidei nullam esse aliam, quam Spiritum S. fiduciam in nobis generantem, adeoque fidem oriri ex gratia, non ex natura, eam esse supernaturalem & θεοδότης, non naturalem aut ἐπικτητος, adventitiam, non verò hereditariam.

XXXI.

Quodcumque n. tum ratione initii, tum ratione incrementi, tum ratione complementi à solo Deo proficiscitur, illud ex nostro arbitrio propriisque naturæ viribus pendere nequit. Sed fides à solo Deo proficiscitur, tum ratione initii Phil. 1, 6, 29. 2. Cor. 3, 5. Eph. 2, 18. Col. 2, 12. Gal. 5, 23. Joh. 6, 29. imò ipsum velle credere à Deo est Joh. 6, 44. cap. 15, 5. Phil. 2, 13. 1. Cor. 2, 4, 5. tum ratione incrementi Marc. 9, 24. Luc. 17, 15. 2. Thess. 1, 13. tum ratione complementi Phil. 1, 6. 2. Thess. 1, 11. Ergo fides ex nostro arbitrio propriisque naturæ viribus pendere nequit.

XXXII.

IV. In causam Formalem Photiniani necessariò cogantur peccare, modò theses & hypotheses suas salvas velint. Quantumvis n. imputationem negativam, peccatorum videl. nobis inhaerentium non imputationem seu remissionem unà nobiscum concedere videri velint, Imputationem tamen affirmativam (de qua in disp. 1. th. 39.) justitiæ videl. Christi nobis inhaerentis applicationem omninò negant, & cum Pontificiis negare tenentur, adeoque cum Papistis statuere, justificationem nostram fieri per & propter bona opera nostra, & hæc cum fide ad justificationem concurrere; quod tamen præter & contra omnem Scripturam affirmatur, ut alibi nostrates Theologi multis demonstrant.

XXXIII.

Nos hic subsistimus & generalem conclusionem ex mediis hæctenus comprobatis inferimus talem. Ergo modernorum Photinianorum doctrina in articulo Justificationis heterodoxa est & hereticissima, ὅτι ἐστὶν ἰδίᾳ δειξοῦ.

DEO SIT LAUS ET ÆTERNA  
Gratiarum actio.

F I N I S.

Coll. Diss. A 179, wise 15